præſidia ſunt, sed fraternæ neceſsitudines, qvas
non gemmis, non auro parare qveatis. Mutuo
amore et Fide parantur. Qvos autem magis præ„
„stare decet Fidem, qvam fratres fratribus? Aut
qvos alios invenietis fidos, si vobiſmet ipſis mi„
„nus fidi fueritis? Eqvidem Ego moriturus
Principatum Vobis, illuſtriſsimi filii, trado fir„
„mum, ſi concordes eritis, ſi diſcordes, imbecil„
„lum. Nam concordiâ res parvæ creſcunt, diſcor„
„diâ maximæ dilabuntur. Concordiam proinde
in sinu fovete, qvippe qvæ præſidio vobis tutiſsi„
„mo æqvè erit ac firmiſsimo, ubi contrà nonniſi
irreparabile damnum certiſsimumq́ interitum
experiantur omnes illi, qvi lites movent, perpe„
„tuasq̀ rixas alunt. Cæterum ante hos meos
filios Te, Optime Electoratûs hæres, Johan„
„nes Georgi de, qvi ætate et sapientiâ cæteris tu„
„is fratribus es prior, ne aliter qvid eveniat
providere decet: nam in omni certamine, qvi
virtuoſior est, palmam cæteris præripit, qvaſi
qvi plus facere videtur, qvam reliqvi. Vos au„
„tem, Auguste, Christiane, et Mauriti, coli„
„te et obſervate talem hunc Principem, ad qvem
jure, voluntate etiam meâ Electoratus per„
„tinet. Nolite transcendere ordinem ætatis,
naturæ, moris patrii, juris gentium. Qvin
potius imitamini virtutem et enitimini, ne
ego meliores liberos præmiſiſse, qvam post fa„
„ta mea reliqviſse videar.

Christianus Lixxbb
Gubenâ-Luſ.